

siliari Camerae Hungaricae, Egregium Michaellem Urnoczi in Dicatorem totius Regni Sclauoniae praefecisse scribunt, et acceptari iubent, iuxta commissionem suae Maiestatis, et conclusionem Regni Hungariae, iuratus Nobilis in Comitibus Zagrabiensi et Crisiensi, creatus est, penes praescriptum Dicatorem, Egregius Christophorus Brada de Mikudincz, qui coram Regno, super fidei executione officii sui, debitum praestitit iuramentum.

Deliberatum etiam est, ut duo Iudices Nobilium Comitatus Zagrabiensis, rebelles colonos Szomszeduarienses et Zthubicenses, ad praestandos decretos labores Iuanichenses, per colonos aliorum Dominorum et Nobilium Regnicolarum, iamdiu praestitos, admoneant.

Quia autem Egregius Franciscus Nouak, coram Dominis Banis et aliis Capitaneis suae Maiestatis (quod commercium cum Turcis haberet) per quosdam aemulos suos se diffamatum esse, summe conqueritur, et ideo publice coram Regno, super huiusmodi indebita diffamatione aemulorum suorum protestatur, literasque sibi petit dari protestationales; cui dari debentur.

Et quoniam, in persona Magnifici Domini Francisci Tahy, ad puniendos rebelles colonos Szomszeduarienses et Zthubicenses, protestatur, e contra vero et Dominus Stephanus Gregorianczy, tam in sua, quam Dominae Relictae Ursulae Mernicz, et filiarum suarum personis protestatur, ut prius bona illa diuidantur inter partes, et sic tandem portionem colonorum suorum Dominus Tahy, pro rebellionem et delictis, si voluerit punire faciat, negotium autem praescriptum sua Sacra Maiestas delectis Commissariis, nunc praesentibus componi, et sedari commisit; nihilominus praefati rebelles coloni rebellionem cedere nolunt, et ideo Domini Oratores, tum apud suam Maiestatem, quam Dominos Regnicolas Regni Hungariae, sedule intercedant, ut praefati coloni rebelles, qui non tantum contra ipsum Dominum Tahy, sed etiam contra suam Maiestatem et libertatem totius Regni deliquerunt, meritam punitionem ne euadant.

Egregius quoque Ladislaus Sibrik de Szaruaskend, contra rebelles colonos Lyudbregienses, Dominae Relictae

condam Gabrielis Thuroczi, qui Castrum Lyudbreg, praesente et in agone agente ibidem praefata Domina Relicta, et dicto Ladislao Sibrik, fratre eiusdem Dominae Relictae similiter praesente, violenter subintrare intercepissent, dictumque Ladislaum Sibrik enormiter verberassent, summe conqueritur, et protestatur, petitque dictos colonos pro huiusmodi delictis, per Dominos Banos et Regnicolas puniri; conclusum est, ut per Dominos Banos iudicio puniantur, potissimum vero prouisor castri illius, nunc in Congregatione praesens, qui factum modo non negat.

Egregii similiter Wolfgangus Gyczy, Joannes Chutor, et alter Joannes Voykouich, in personis Dominarum consortium suarum, contra Generosam ac Magnificam Dominam Barbaram Alapi, Relictam Spectabilis et Magnifici condam Domini Petri Erdeődi Comitis et Bani, querulose protestantur, qualiter proximis temporibus, praefata Domina Relicta personaliter cum officialibus, colonis et seruatoribus suis et filiorum suorum, in pertinentias possessionis Jegyndoucz vocatae, in Comitatu Zagrabiensi existentias habitas, praefatarum Dominarum protestantium, lite adhuc pendente, et causa nondum reuisa, irruisset, ibidemque certas metas terreas erexisset, per quarum quidem metarum erectionem certos terras arabiles et foenilia, vepresque et siluas colonorum dictae possessionis Jegyndoucz, et per consequens dictarum Dominarum querulantium violenter, et sine omni legitima executione, pro se et suis occupasset; quae quidem bona occupata sic violenter, petunt sibi penes publicae constitutionis restatui. Stephanus vero Ladomerius, in persona dictae Dominae Barbarae Relictae, tempore reambulationis metarum Castrum Okych factae, in iudicio contradictorio, procuratorem dictarum Dominarum querulantium cecisset, et superinde habere ipsam Dominam Relictam literas adiudicatorias, et nihil iniuriae dictis Dominabus querulantibus intulisse, respondit. Unde per Dominos Regnicolas conclusum est, quia, lite pendente, et causa nondum decisa, propria autoritate dicta Domina Barbara Relicta, in bonis ipsis litigiosis, sine omni legitima executione, metas erigere, et bona ipsa pro se et suis occupare minime debuisset; et ideo committitur Domino Vicebano, ut